

triarchalem Sedem sponte postea dimiserit , si quidem
fides est adhibenda historicis Ægyptiis sectæ Theodosianæ
propugnatoribus , qui apud Renaudotium in Histor. Ale-
xandr. Patriarchar. Jacobitar. pag. 138. & seq. hæc ha-
bent . „ Misit itaque (Imperator Iustinianus suæs Theo-
„ doræ Conjugis) Alexandriam Legatos , qui de ordina-
„ tione ejus (Theodosii) inquirerent , num scilicet se-
„ cundum Canones Ecclesiasticos facta fuisset . Illi ma-
„ gna diligentia adhibita , quum cognovissent qua ratio-
„ ne Gajanus per vim ordinatus fuisset , corruptis pecu-
„ nia multis , qui ad ejus ordinationem consenserant ,
„ quique etiam tunc affirmabant , eam potiorem fuisset
„ quod tamen probare non potuerunt : Legati interroga-
„ tis Sacerdotibus & primariis Civibus centum viginti ,
„ quorum testimonia subscriptionibus firmata habuerunt ,
„ ordinationem Theodosii , tamquam prius factam & Ca-
„ nonicam pronunciaverunt . Deinde congregatis in Ec-
„ clesia majore Episcopis , Sacerdotibus , Imperatoris-
„ que ministerialibus , Ducibus , primoribusque Civita-
„ tis , allata sunt in medium Evangelia , tum Sigillum
„ Imperiale cum Augusti imagine : adfuit quoque Theo-
„ dosius . Et quum omnes seorsim interrogati fuissent ,
„ confessi sunt , illum primo ordinatum , accidente Episco-
„ porum , sacerdotum , & populi consensu , secundum Ca-
„ nones Ecclesiæ : elapsisque duobus mensibus , auditum
„ esse , quod Gajanus ordinatus fuisset . Advenit ipse Ga-
„ janus , & coram frequenti multitudine fassus est , rem
„ ita se habere , peccatique veniam postulavit . Alexan-
„ drini quoque rogaverunt Theodosium , ut pœnitentiam
„ ejus acceptam haberet , modo confiteretur , manusque
„ sua subscriptione testaretur , quæ ausus fuerat , facta
„ esse contra Canonum Ecclesiæ disciplinam . Petierunt
„ etiam , ut suscepta illius pœnitentia , ipse gradum Dia-
„ conatus , quem antea habuerat , dignitatemque Archi-
„ diaconi retineret , modo Patriarchæ obediret , ad fi-
„ nem usque vitæ . Hæc annuente Theodosio & Gajano
„ consentiente , concordia inita est , facto publico instru-
„ mento , cui omnes subscripserunt . Atque ita pax Ec-